



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1000. Usque Ad Annum 1063

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117956

§. 74. Ecclesia Hispaniæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66323)

Sæculum XI. discessurum, & quæcunque sibi præcipe-
A.C. 1050. rentur, obedientissimum futurum. Ex-
 inde nihil amplius felicissimæ concordie
 vincula dirupit.

§. LXXIV.

Ecclesia Hispanica.

Sup. lib.
LVIII.
 31.

In Hispania Alphonso V. anno 1028. fa-
 tis functo successit filius Veremun-
 dus III. & Regnum non plus duobus an-
 nis tenuit; nam juvenis & improlis de-
 cedens, Regnum Legionense Ferdinan-
 do I. Sororis suæ Marito reliquit, qui
 Sanctii Magni, Regis Navarrae filius, cum
 etiam Comitatu Castiliæ potiretur, ab ea
 provincia nomen accepit, & Castiliæ Re-
 gum primus habetur. Anno millesimo
 trigesimo octavo Regnum auspicatus il-
 lud annis viginti novem tenuit, eique si-
 cut & parenti ejus cognomentum Magni
 posteritas dedit. Is Concilium Coya-
 cense in Diœcesi Ovetana anno 1050.
 Æra 1088. celebrari curavit, cui inter-
 to. 9. p. 1063. fuere Episcopi novem, scilicet, Ovetanus
 Legionensis, Palentinus, Vifocensis,
 Calaguritanus, Pampelonensis, Lucensis,
 Iriensis seu Compostellensis. Abbates
 quoque, & totius Regni Optimates.
 Huic Concilio Sanctia Regina cum Con-
 juge suo præponitur, quia videlicet ipsa
 Regni Legionensis Hæres erat.

Cano-

Canones tredecim conditi sunt, in ^{Sæculum XI.}
 quibus etiam aliqua de rebus Sæcularibus A.C. 1051.
 decernuntur. Erat quippe Conventus
 mixtus. Statuitur, ut Episcopi & Cleri-
 ci in suis Ecclesiis resideant. Arma non ^{c. 7. 8. 10.}
 tractent. Vestes eorum Religiosam mo- ^{Ec.}
 destiam deceant. Cum mulieribus non
 habitent. In calicibus ligneis aut testa-
 ceis non sacrificent. Unde Regionum
 illarum paupertatem dispicimus. Archi-
 diaconi & Presbyteri ad pœnitentiam
 vocent adulteros, homicidas, incestos,
 omnes peccatores, & si refractarii sint,
 eos ab Ecclesia & Communione separent.
 Omnes Christiani Dominicam Sanctifi-
 cent, die Sabbati ad vespertas in Eccle-
 siam se conferant, & in Dominica Missæ
 & omnibus Horis intersint. Fideles
 cum Judæis in una domo non versentur,
 nec cum eis cibum sumant. In Sabbato
 omnes jejurent. Omnes Monachi &
 Sanctimoniales Regulam S. Benedicti se-
 quantur, & Episcopis subjecti sint.

§. LXXV.

Leonis IX. Dictum.

Anno sequente millesimo quinquagesi- ^{Herm. cont.}
 mo primo ineunte Leo IX. Papa, ad- ^{1051.}
 hac in Germania versatus, Festum Puri-
 ficationis Augustæ Vindelicorum cum
 Henrico Imperatore, magnoque Episco-
 porum & Optimatum numero celebra-

D d 4 vit.